DIRIGENTE JESU,

RATIO
N ASSENSUM DIVINÆ VERITATIS REVELATÆ
DEDUCTA,
De
MEDIATORE
INTER
DEUM
ET
HOMINEM.

Quam,
onſenſu, quorum intereſt, in inclyta
ad Auram Academia, EPHORORUM,
ISQUISITIONE PHILOSOPHICA,
Sinceris veritatis amantibus proponit

DANIEL JUSLENIUS,
Facult. Philoſ. Adjunctus:
Et una cum
S. R. MAJESTATIS Alumno,
DN. GABRIEL KEPPLERO, Bor. Fen.
Defendere conatur,

Prid. Non. Nov. A. a nato Mediatore 1705.

* * * * * * * * * * * * * * * * * * * *

ABOÆ, Exc. Jo. WAL.

S:Æ R:Æ MAJESTATIS

CONSILIARIO SUMMO,

Supremi, qvod Holmiæ est, Collegii Justitiæ

PRÆSIDI CELSISSIMO,

nec non

Academiæ Aboënsis

CANCELLARIO MAXIMO,

ILLUSTRISSIMO atqꝫ EXCELLENTISSIMO

COMITI ac HEROI,

DOMINO,

GABRIELI

YACKENBERG/

COMITI in Sandemar/

LIBERO BARONI in Odenswijholm/

DOMINO in Söderby/

DOMINO meo CLEMENTISSIMO.

ILLUSTRISSIME atque CELSISSIME COMES,
DOMINE CLEMENTISSIME.

Timet equidem, ILLUSTRISSIME COMES, Celsum TUÆ sublimis EXCELLENTIÆ aspectum subire, timet fulgori tanto, hic in obscuro natus noctuæ fœtus, exponi. progreditur tamen arreptâ humilime fiduciâ, & ad ILLUSTRISSIMÆ TUÆ CELSITUDINIS pedes devotus se visendum projicit; gnarus, hoc sui auctoris subjectionis gloriam, & certissimæ suæ salutis spem postulare. Est etenim, HEROS EXCELLENTISSIME, invida pauperies, quæ me detinuit semper, & ultra duo jam lustra alieno servientem arbitrio, necessariis interim studiis secundum vota invigilare vetuit. ex officina ergo parum instructa non nisi rude ac informe exit opus: suo quidem cultu, indignissimum, ut inter alia polita, quæ laqueata tecta

de-

decent, TUA, ILLUSTRISSIME COMES, tangat limina. Sed ut DEUS gloriosus, quos de suo inter mortales voluit participare nomine, eorumque TE, DOMINE CLEMENTISSIME, inclusit numero, iis & propiorem sui similitudinem indidit, non tam excelsitatem potestatis exprimentem, quam bonitatis & clementiæ charactere splendidam: ita in spem erigor subjectissimam, fore, ut devote supplicem, argumenti nobilitas, Celsissimæ TUÆ Gratiæ commendet, scilicet quæ & nuperrime Regiam clementiam insperanti impetrabat, patere igitur, CELSISSIME HEROS, ad fores TUAS prorepere exiles de re magna pagellas, sui auctoris devota ferentes vota, pro perenni ILLUSTRISSIMÆ TUÆ EXCELLENTIÆ flore & felicitate, in Magni REGIS commodum, Patriæ salutem, & nostræ præsertim literariæ Reipublicæ grande præsidium; ut inter ceteros, quam diutissime & ego appellari queam,

ILLUSTRISSIME COMES,
CELSISSIMÆ TUÆ CLEMENTIÆ

subjectissimus cliens
Daniel Juslenius.

אנא יהוה הושיעה נא

(α) אנא יהוה הצליחה נא

on dubito, Lector Ben. Te Phaëtontios & Icarios mihi præsagire casus (β), metuendo ne in acclivi & ardua tanti de Mediatore mysterii via, me præcipitem det effrenata Ratio, cujus lora non his judicas tractanda manibus; ideoque cum eam altius evolare sinam, ne liqvescentibus pennis, in tabulis dignus videar notari, lapsu novas remeritatis aqvas signaturus. Verum, illo Te spero liberari metu, cum sanctius mihi sit propositum: non, ut illis, sanis parentum obsistere dictis; non, fictis tumido viribus, vanis inhiare speculationibus; sed justa & æqua referre, majus adepto auxilium. Propositum istud est, animo per cœlestem gratiam de veritate nostræ religionis firmo, etiam devotum purioris Philosophiæ assensum monstrare; cum non sit Ratio Fidei adversa, sed fidelis plane famula. *sin secus esset, quid homo*, præsertim Christianus, *tandem*

A

(α) *Ps. 118. 24.* (β) *vid. Ovid. de Phaët. Metam. L. 2. fab. 1. de Icaro L. 8. f. 3.*

dem differret a ceteris animantibus? nec a fide omnem rationis usum atque opem esse removendam; nam si per rationem homines sumus, an nobis velut abjicienda humanitas est, cum fide utimur (γ)? Mihi vero tales in mentem venire meditationes, utpote Christiano, & juxta initiato Philosophiæ, æquum est: ea enim, ut Rationis lumen ab ipso luminum Patre descendens (δ), illuminat; ita in illo, supremo lumini subjiciendo rectissime occupatur. Meæ quidem heic vires nullæ sunt. agnosco cœcitatem, agnosco tenebras (ε); sed quæ facile dissipantur a Luce essentiali (ζ), cujus misericordia etiam invisibilia Ratione pervidemus (η). Docet hoc & Moyses ille Atticus, dicens: quod ἂν ὁ Θεὸς ἡμῖν ὑφηγῆται, καὶ ἂν τὸν θεὸν (τῆς γὰρ σπουδαίας ἐπιστολῆς Θεὸς ἄρχει, θεοὶ δὲ τῆς ἥττονος (θ). i.e. *Studio conscripta epistolæ principium DEUS est, dii vero negligentius exaratæ)* ὑμεῖς τις σφόδρα πιῶσιν, εὐχόμενοι τὰ κάλλιστα καὶ ἄριστα περὶ αὐτῶ λέγειν, ἕως ἔτι πιστεύοιτις τῶ Θεῶ

(γ) *verba sunt Petri Dan. Huetii de Concordia Rationis & Fidei L. 1. c. 1. Conf. Reverend. Episc. D. Doct. Joh. Gezel. in de Instinctu Sacrific. in gent. c. 4. m. 3. §. 28. Hodos. Danhav. Phan. II. p. 1317.* (δ) *Jac. 1: 17.* (ε) *1 Cor. 2: 24. Eph. 5: 8.* (ζ) *Joh. 1: 9. & 8: 12. 1. Joh. 1: 5.* (η) *Rom. 1: 19, 20.* (θ) *Plato Epist. 13.*

Θεῶ, λέξωμεν τὸν ἐπόντα ἡμῖν λόγον τῶν καλῶν περὶ τὸν Θεὸν (ι), *si DEUS nos adjuvet, & si DEUM laudantes valde honoremus, invocando, ut pulcherrima & optima de ipso dicere possimus, fiet, quod credentes DEO, proferamus inditum nobis sermonem de bonis quæ circa DEUM sunt.* Haud secus ac si ab ipso in secula benedicto Mediatore nostro (κ) didicisset, ἄτιμον τῆς εὐπραγίας τὸν Θεὸν εἶναι (λ), *causam felicis actionis DEUM esse.* sed viderunt & gentiles alii, solum DEUM δοτῆρα esse τῶν ἐάων (μ), *datorem bonorum*: & ὅ, τι ἂν ἀγαθὸν πράξῃς εἰς τὸν Θεὸν ἀναπεμπτέον (ν), *si quid boni agas, in Deos referendum.* quæ cuncta ex ipsius clementissimi DEI patefacta voluntate sunt firmiora firmissimis (ξ). Ejus ergo ductu, sine quo possumus nihil (ο), quid de ipso per ipsum, Ratio recte usurpata assequi valeat, paucis exponere est animus: idque eo ordine, ut *primo* attendamus *capite, officium Mediatoris: secundo* aperta fiat *necessitas ejusdem inter DEUM & hominem: tertio* vero monstretur, *quod nec sentiat Ratio alium huic muneri idoneum, quam Sacris patefactum Scripturis.* CA-

(ι) *Plat. Epinom.* (κ) *ex Joh. 17. 1. segq.* (λ) *Plato de Rep. L. 2.* (μ) *Hom. Od. 9: 325.* (ν) *Bias apud Laert. quod allego fide B. Andr. Wanochii Disqv. Pract. part. Gen. c. 3. sect. 1. §. 1.* (ξ) *2 Cor. 3: 5.* (ο) *Joh. 15: 5.*

CAPUT PRIMUM.

Mediator unde dicatur. ejus officia. Quid sit arbiter. quomodo constituatur. qualis. Arbitrii norma, æquitas, necessitas. Internuncius quis. quare adhibendus. Intercessor describitur. ejus qualitas & officium. Sponsor quis: quis fidejussor: quis vas. an possit occidi. Finis pœnarum. Sponsoris jus in reum: & hujus obligatio. Discrimen inter jus creditoris & læsi. Gubernator: ejus juris fundamentum, subjectum, finis. An cuilibet Mediatori, & cui istæc omnia conveniant.

§. I.

Non ignaris rerum, quas de Rerum publicarum & societatum statibus, bellis, pactis, jure, & contractibus, partim ex historia discimus, partim experientia monstrante indies videmus, partim ex civili prudentia & æquitate naturali conjicimus, perspectum est, quid ad salutem tam gentium integrarum, quam hominum singulorum, *Mediatores* conferant. Eos innuo, quos, pacis & amicitiæ conciliandæ caussa, ipsum nomen indicat *medios* se partibus litigantibus interponere. Horum nomen Græcis est Μεσίτης:

Sue-

Sveci vocant Medlare / Fenni Wälimies: Gallis audit *le Moïjenneur, vel Mediateur*; Germanis ein Mittler. non autem diffidentes solum conciliare horum est, qui Mediatores salutantur; sed & per hos reducta pax constat, & futuræ prohibentur inimicitiæ. Perspecta vero tam rei natura, quam auctoritate præeuntium (π) invitati, ad quinqve præcipuè attendimus mediatorii officii partes, dum plene id peragitur: verus scilicet mediator esse solet *Arbiter, Internuncius, Intercessor, Sponsor, Gubernator.* Quorum singula ulterius declaranda veniunt.

§. 2. *Arbitrum* nuncupamus *judicem qui ex compromisso cognoscit* (ρ); vel clarius: qui a *partibus disceptantibus vel electus vel admissus, neutri aliqua ratione plus quam alteri favens vel annexus, secundum æqvum & humanitatis leges, ipsis reconciliationis vias præscribit.* Non hic anxie perfectæ definitionis inhæremus regulis, contenti utcunqve rei explicuisse naturam. certe, qui ab iis, inter quos controversia de re aliqua intercedit, licet in rixas & bellum non eruperint, in hoc eligitur, ut

(π) *Martinii præsertim, in Lexic. Philolog. ad vocem Mediator.* (ρ) *Wesenbec. comm. in codicem Justiniani L. 2. Tit. 56.*

media & modos proponat reſtituendæ concordiæ, non niſi arbiter eſſe poteſt. Dico vero vel electum vel admiſſum: plures enim qui lites alunt, easdem trahere dulce putant; dummodo una ſecum adverſarium, vel damnum non evaſurum, vel ruiturum plane, credant: ideoque parum de reconciliatione ſunt ſolliciti, minusque arbitrum accerſere curant. ſic ſtantibus rebus, alii, quos interior imbuerat humanitatis ſenſus, amicam ſæpe operam offerunt, ad reducendos in concordiam efferatos, vel ſui ſaltem commodi negligentes animos. quales qui gratus non excipiat, humano nomine indignus merito cenſetur (s). Requiritur ulterius ab arbitro, ne plus alteri faveat parti, alteri minus; nec alterutri peculiari beneficio, vel ſangvine magis ſit adſtrictus: fieri enim neqvit, qvin talis, affectu in hunc ſit proniore, quam in illum, cui ſimili non obligatur vinculo: unde hic jure timere ſibi poteſt, talem arbitrum ſi admittat, ſententiam, non ex æquo, ſed favore in illum, pronunciatum iri; qva ratione pro arbitro reſtem, aut patronum adverſæ partis haberet.

(s) *vid. Pufendorf. de jure Naturæ & gentium L. 5. c. 18. §. 7.*

ret. Si vero ſit notiſſimum, eum in qvem compromiſſum eſt, juſtitiæ omnem alium poſt habere reſpectum, ideoqve & a remotiore libenter adſumatur; nil prohibet, etiam neceſſitudine aliqva alteri conjunctum recte adhiberi. Namque cum res ſe recte habet, πανταχοῦ πιστότατος ὁ διαιτητὴς, διαιτητὴς δ' ὁ μέσος (τ), *ubiqve fidiſſimus arbiter, arbiter vero medius*, nimirum affectu in perſonas, quarum faveat neutri; non in cauſas, cum in meliorem inclinare debeat (υ).

§. 3. Norma arbitrandi, recte æqvum ponitur: ne incidat arbiter in vitium Romanorum, agrum inter Aricinos & Ardeates controverſum, ſibi adjudicantium (Φ); & Philippi, diffidentes de regno fratres Thracas, cum arbiter electus eſſet, ſpoliantis (χ). ὁ διαιτητὴς τὸ ἐπιεικὲς ὁρᾷ, ὁ δὲ δικαστὴς τὸν νόμον, καὶ τάτε ἕνεκα διαιτητὴς εὑρέθη, ὅπως τὸ ἐπιεικὲς ἰσχύῃ (ψ). *arbiter ſpectat æqvum, judex autem legem; & ejus cauſa inventus eſt arbiter, ut valeat æqvum.* Definitur autem æqvum; τὸ παρὰ τὸν γεγραμμένον νόμον δίκαιον (ω), *quod præ-*

(τ) *Ariſtot. Polit. L. 4. c. 12.* (υ) *de his Puf. J. Nat. & G. L. 5. c. 13. §. 4.* (Φ) *Liv. L. 3. c. 72.* (χ) *Curt. ſuppl. L. 1. c. 4.* (ψ) *Ariſt. Rhet. L. 1. c. 13.*

ter ſcriptam legem juſtum eſt. ἐφ' οἷς τι δεῖ συγγνώμην ἔχειν, ἐπιεικῆ τοῦτο (ω), & in quibus oportet veniam dare, ea æqua ſunt. Quibus verbis non obſcure humanitatis indigitantur leges, qvas definitione notavimus (α). ſi enim ad leges ſcriptas ſtricte recurreretur, ſæpe fieret *ſummum jus* ſecundum literam acceptum *ſumma injuria*, non perpenſis circumſtantiis, præſertim intentione, an ex malitia, vel inconſulto & per errorem quid ſit commiſſum; τὰ γὰρ ἁμαρτήματα καὶ τὰ ἀδικήματα μὴ τῶν ἴσων ἀξιοῦν, μηδὲ τὰ ἁμαρτήματα καὶ τὰ ἀτυχήματα (β), *errores & injuria non paria æſtimanda, nec errores & infortunia:* ſed ita ſæpe arbitro judicandum, ut de rigore juris multa remittat, conſiderando, & paribus inculcando communem hominum naturam, deſtitutam privilegio non peccandi: cum τὸ ἁμαρτάνειν ἀνθρώπους ὄντας οὐδὲν θαυμαστόν (γ), *peccare homines exiſtentes, nihil mirabile.* & ſic procedens arbiter facillima ratione propoſitum obtinebit, quod diſſociatæ conjungantur mentes, exponendo quid utrique concedendum ex hu-

(ω) *Ariſt. L. all.* (α) *conf. quæ ex Seneca affert Grotius J. B. & P. L. 3. c. 20. §. 47. Weſenb. comm. cod. Juſt. L. 2. Tit. 56.* (β) *Ariſt. L. cit.* (γ) *Cyrus ad Caduſios apud Xenophont. L. 5.*

humanitate; & quid ex æquo præſtandum (*d*).

§. 4. Neceſſitas adhibendi inter diſſidentes arbitri, facile colligitur, tam ex amicitiæ bono, qvam odii & iræ moleſtus. citra neceſſitatem eſt qvidquam de uſu amicitiæ, & ab ea dependentibus bonis, diſſerere; cum ejus rei plena ſit omnis hominum ſcientia, omnis librorum & exemplorum teſtetur vetuſtas (*e*). & in omni fere animalium genere conjunctionem a natura inplantatam videre eſt: id ipſum infantes qvoqve a cunis ipſis demonſtrant. Qvid moleſtiæ inimicitiæ pariant & diſſenſiones, ſatis docebit ſola auxilii externi detractio, cujus homo tamen eſt egentiſſimus: ne qvid jam dicam de perpetuo metu imminentis ab adverſario mali, & interna anxietate, naturæ inimica, eandemqve deſtruere apta nata. accedit qvod Φαυλοι κριται ſimus περι των οικειων, *mali de domeſticis judices* (ζ); nimirum nimio noſtri amore, aut odio partis adverſæ, vel

(*d*) *de iis conf. Puf. J. N. & G. L. 5. c. 13. §. 5. & Grot. J. B. & P. L. 3. c. 20. §. 47.* (*e*) *vid. inprimis Ariſt. Nicom. L. 8. Cic. in Lælio & off. L. 1. Hor. Serm. L. 1. Sat. 5. &c* (ζ) *Ariſt. Pol. L. 3. c. 6. conf. Puf. J. N. & G. L. 5. c. 13. §. 2. & 4.*

etiam metu & ſpe præpediti, minus recte cernimus, quid e re noſtra ſit; & *cum omnes ſibi malint melius eſſe quam alteri* (η), nobis plus juſto adulamur, detrahendo alteri. res ergo monet, tertium adhibendum eſſe, cui nihil exundet commodi ex victoria partis unius vel alterius, vel earum diſſidio; ſed potius qvi boni qvid perſentiſcat ex concordia ipſarum inter ſe, & cum aliis.

§. 5. Alterum munus Mediatoris diximus, qvod *Internuncius* ſit, ſeu is *qvi inter diſſidentes, ob litem ad mutuum alloqvium convenire nolentes, ultro citroqve commeans, utriusqve alteri bona fide notas facit propoſitiones & pacis ineundæ media.* multi inter hoſtes commeant, ſed vel ut animos ultra exaſperent, vel alterum alteri prodant, vel etiam mercatum ut exerceant. hi vero internuncii non exiſtimantur: ſed qui eo fine ab uno ad alium tendunt, ut vera referendo, & in mitiorem partem interpretando, pacem conciliare ſtudeant. accipio heic vocem internuncii in ſignificatione propriiſſima, quam literæ fundunt, qvod internuncius non ſit mandatarius partis unius (ϑ), ſed qui inter ambas

(η) *Terent. Andr. 2. 5.* (ϑ) *conf. Grot. L. 2. c. 11. §. 17. & Puf. de J. N. & G. L. 3. c. 9. §. 3.*

bas eundo & redeundo utriusqve nunciet voluntatem. non tamen inficias eo, & hunc mandata accipere posse & pro alio spondere; sed saltem qvod ita hic non consideretur. Tali opus esse inter eos, qui aut ab hostiles animos, aut aliam gravem causam ipsimet convenire neqveunt, patet ex mediorum ad obtinendum finem necessitate; qvorum si plura uni fini inservire qveant, remotis aliis, valebit unum. in reducenda concordia, partium voluntatis significatio reqviritur, per signa qvæ natura & instituto universorum huc faciunt: ea vero commodiora sermone non habentur, qvi vel scripto significandus, vel pronunciandus ore: hic posterior certitudine & utilitate prævalet. hunc, ut dictum est, diffidentes non semper adhibent inter se immediate; sed vel per literas, vel per hominem alium, qvi tamen & literis perferendis fidus ut sit, opus est; non solum ut sciat alter, a qvo missæ sint, sed ut interpretem & qvasi testem habeat, hanc non aliam, in scripto, casu vel intentione ambiguo, mentem fuisse scribentis: & eidem in consiliis suis & responsis tuto fidere & niti possit. Apparet & hinc discrimen

inter tabellarium nudum, & internuncium: ille ſolas perfert epiſtolas rei inſcius, vel etiam gnarus, ſed poteſtatis expers; hic vel ſine literis agit, vel literas & mentem auctoris interpretandi gaudet privilegio; idqve ut citius & certius inceptum peragatur. Sic qvidem agitur inter æqvales, quorum alter alteri nulla ratione ſubeſt, ſed pares cenſentur, qvia inter ſe non fecerant periculum virium (1). ſin vero ſuccumbat alter alteri, vel dependeat ab eo & timeat; intercedere tertium deprecantem e re eſt: qvod itidem eſt Mediatori in moribus.

§. 6. Eſt autem *Interceſſor*, qvi *apud majorem a minori pœnas & calamitatem deprecatur.* major nobis eſt, qvi potentia & poteſtate alteri prævalet; hincqve vel jure vel injuria, minori, ut reo vel ſubdito, vel alias reſiſtere non valenti, calamitatem & pœnas inferre potis eſt. hoc in caſu, minor ſi ſalvus eſſe velit, certior redditus de impendente ſibi malo a potentiore, & quod propriis nihil efficiat artibus, interceſſorem qværere neceſſum habet, eum ſcilicet, qvi & affectu in miſerum ſit laudandus, & gratia penes ma-

(1) *Vid. Curt. L. 7. c. 8.*

majorem conſpicuus. eoqve hic efficiet plus, qvo propiore vel naturæ vel amicitiæ vinculo ſit ſuperiori adſtrictus: plus vero efficere volet, qvanto majori neceſſitudinis gradu ſupplicem attingat. ſi vero pergat ille in rigore ſuo, nec Interceſſoris quamvis neceſſarii ſui attendat precibus, utpote vehementer læſus, & hic tamen ſerio conatu optatum exitum qværere perſeveret; neceſſe eſt, ut modum inveniat, qvo parti læſæ aut illatum reſtituatur damnum tam rei qvam exiſtimationis, vel alio is demulceatur beneficio, ad valorem damni vel ultra aſcenſuro. id vero ſi inferior præſtare nequeat, præſtet Mediator, aut in ſe recipiat, illud a ſe vel reo præſtitum iri: unde ſponſio, qvarta ſui officii pars, emergit.

§. 7. *Sponſorem* eum eſſe cenſemus, qvi *de debito alieno, creditori ſolvendo, cavens, ni principalis debitor ſua præſtet, ipſe tenetur.* Scilicet, cum non conſtet parti diffidentium uni, an ea, de qvibus paciſcendo inter ſe convenerant, pars adverſa præſtare velit; adeoqve ſit ille in dubio, an ſecure, qvæ promiſit, præſtare poſſit, ne amiſſis qvæ in manibus erant, & fuſtra exſpectando ſibi promiſſa,

in deteriorem res ſuæ deveniant ſtatum: interponit fidem ſuam tertius, in ſe recipiendo curam, ut indemnis ſit ille, ſeqve effecturum, ut debitis potiatur. eſt hæc ſponſio ſæpe utriqve parti facta, præſertim æqvalis conditionis, cum, ut utraqve ſuum obtineat, tertius pollicetur efficere, & ſi neqveat aliter, ſociatis cum læſa viribus cunctantem vi adacturus (κ). inter inæqvales propius periculo hoc eſt officium, ſi ſuperior, debiti præſtandi impotentem, animadverterit inferiorem, nec libertate frui ſiverit, ni fidejuſſor adveniens plane hujus in ſe transferat debitum, ſoluturus ſi ipſe non valuerit. debitum hic intelligitur qvalifcunqve obligatio, qva tam ad faciendum, qvam patiendum alter alteri eſt devinctus. & *generaliter omnium obligationum fidejuſſorem accipi poſſe, nemini dubium eſt* (λ). qvi transferens in ſe debitum, *expromiſſor* dicitur (μ); pro delictis vero ſe interponens, *Vas* audit (ν).

§. 8. De hoc an pro delicto alieno occidi poſſit, inſignis inter eruditos eſt controverſia.

(κ) *conf. Puf. J. N. et. G. L.* 8 *c.* 8. §. 7. (λ) *Dig. L.* 46. *tit.* 1. *c.* 8. (μ) *Puf. J. N. & G. L.* 5. *c.* 10. §. 11. *Weſenb. comm. in Dig. L.* 46. *Tit.* 1. (ν) *Puf. J. N. & G. L.* 5. *c.* 10. §. 9. & 12.

verſia (ξ). negantium hæ maximæ ſunt rationes: per cædem vadis non obtineri reipublicæ commodum & finem pœnarum, qvi eſt emendatio puniti vel aliorum: innocentem pro alieno delicto puniri non poſſe: nec in vitam ſuam homini tantum jus eſſe, ut eam pro alio poſſit profundere. ſed ut iſta de civilibus maxime diſputantur, noſtrum autem eſt in ſtatu præciſo ea conſiderare; ita ultima, & in Scripturis (ο) refutata eſt, jubentibus *vitam pro fratribus dari*, & qvotidiana refellitur experientia militum ultro in bellum & certam interdum mortem pro patria abeuntium, & laudatiſſima exempla (π) comprobant. & licet concederem recte de eo dici, qvi eminentiori eſt ſubditus, non poſſe eum, invito domino, ſe neci dare; nihil tamen obſtat, qvin nullum habens ſuperiorem vel conſenſum habens ſuperioris, vitam pro beneplacito profundat (ϱ), præſertim morte ſua aliis profuturus (σ).

(ξ) *Grot. J. B. & P. L. 2. c. 21. §. 11. Puf. J. N. & G. L. 5. c. 10. §. 12. & L. 8. c. 3. §. 32. Oſiand. annot. in Grot. L. 2. c. 17. th. 2.* (ο) *1. Joh. 3:16* (π) *Juſt. L. 2. c. 6. & 11. Liv. L. 7. c. 6. & L. 10. c. 28. & L. 8 c. 10. An. Flor. L. 2. c. 2. Joan Schaff. Mem. Sbet. gent. exempl. c. 26.* (ϱ) *Puf. J. N. & G. L. 1. c. 6. §. 8.* (σ) *Id. L. 2. c. 4. §. 4. Conf. Weſenb. Comm. in Dig. L. 46. tit. 1.*

le-

ſecunda non ferit, ſi dicatur: vadem invitum, & a culpa plane alienum non recte puniri; cum formale pœnæ conſiſtat in culpæ reſpectu (τ): recte tamen & proprie, cum in culpa ſit per affinitatem & connexionem, eam in ſe recipiendo (υ); &, licet ſæpe invitus, reum pœnæ ſubtrahat, poſthac forte majori malo futurum; eoqve aliqvid ſummæ poteſtatis juſtitiæ decedat, præſertim cum hæc fuerit immutabilis, ut eſt divina. Nec rationem primam plane contrariam morti vadis eſſe confido; nimirum poſita conditione, ſi hæc læſo conducat: nec non conſiderando pœnas, accurate & præcise loqvendo, nec puniti nec aliorum emendationem primario ſpectare, ſed juſtitiæ potius ſatisfactionem, præcipue ſi eſſentialem illam divinam ſpectes juſtitiam (φ): qvod & obſcure innuit Plato (χ), neceſſe judicans debere [malis, ex-

(τ) *Grot. L. 2, c. 21. §. 12. & qua ex Auguſtino annotavit ad §. 11.* (υ) *Fridem. Bechman. Annot. in Comp. Th. Hutteri Loc: 3. Qv. 36. conf. D. Gez. de Inſtinctu ſacrif. in Gen. c. 4. m. 3. §. 47.* (φ) *Conf. Grot. L. 2. c. 20. th. 4. & Oſiand. obſ. Weſenb. Comm. Dig. L. 48. th. 19. D. Gez. in de Inſt. ſac. c. 4. m. 3 §. 36.* (χ) *in Phædon. & L. 10. de republ. & L. 10. de leg.*

exacta hic fortunata vita, poſt mortem male eſſe, bonis vero bene.

§. 9. Si contingat Sponſorem pro reo ſolvere vel luere, a creditoris principalis obligatione reus liberatur; æqvali tamen obligatione ſponſori obnoxius, qvamdiu ipſe nihil præſtiterit, vel de eadem remiſſa, a ſponſore non ſit certior factus: in qvem primi creditoris jus totaliter eſt derivatum per præſtitam ſatisfactionem. qvandocunqve ergo hic debitorem invenerit, & eundem convenire libuerit, ſuum, qvod vice ejus expendit, exigendi poteſtatem habet (ψ). idem de reo pœnæ cenſendum, videlicet & illum vadis ad arbitrium ad æqvales uſque pœnas teneri: vel ſi qvid ex gratia remittat, ad qvæcunqve impoſita eo debere eſſe promtiorem. his igitur modis omnis inter creditorem & reum ſolvitur obligatio, item inter creditorem & ſponſorem, ſed inter hunc & debitorem accreſcit (ω). ſi vero ſponſor nihil creditori ſolverit, ſed vel debiti

C

(ψ) *Puf. J. N. & G. L. 5. c. 10, §. 9. & 11. conf. Grot. J. B. & P. L. 3. c. 21. §. 25. Weſenb. Comm. in Dig. L. 46. T. 1.* (ω) *Puf. J. N. & G. l. 5. c. 2. §. 10. & c. 10. §. 9. & c. 11. §. 1.*

biti qvantum, interceſſione diminuerit, vel pœnas prece mitigaverit, ad gratum affectum erga beneficum reus aſtrictus eſt. qvod etiam valebit, impetrata ſaltem dilatione præſtandi. debet enim reus his in caſibus ubiqve obſeqvium utriqve; & ne principalem creditorem aliqva ratione exaſperet, ſponſoris ſeqvi monita: qvi ut penes illum gratia valet, ita optime ſcire præſumitur, qvibus is ſit demulcendus modis.

§. 10. Hic tamen haud exigua occurrit diverſitas inter jus creditoris & læſi. patet cuilibet nihil intereſſe qvis debitum ſolvat, debitor ipſe vel pro eo ſponſor; dummodo creditori, qvod paſſus eſt damnum reſtituatur. at homo (nam divinæ perfectiones aliter ſe habent) qvi læſus eſt, ſane æqve tranqvilla non erit mente, ſi reus ipſe, vel qvem ſtitit vadem, pro eo luat, præſertim ſupplicia vitæ vel corpori infligenda. ibi enim nihil in creditoris admittitur perſonam, re ſaltem diminuta: hic manente re, ipſa impetitur perſona, ejusqve dignitas & exiſtimatio; qvam vitæ æqviparari notum eſt. hinc, ut injuria, qvam debitum, acrius urit; ita inter homines promtiorem exigit pœ-

nam

nam, haud facile in vade exſeqvendam, ſed in reo ipſo: qvare etiam, ſi intercedentibus aliis reo remittatur, a nemine exigi ſolet; qvod aliter in debito evenit. hæc ideo appoſuimus, ut oſtenderemus majus qvaſi jus manere læſo in reum, qvamqvam pro eo luerit alter, qvam creditori in debitorem, ſolutum per expromiſſorem. ſiqvidem non ſublato lædente, timendum eſt ne maleficus redeat ad vomitum; cum nihil pro priori culpa ſit paſſus: qvod propius tangit, qvam innoxia ſæpe debitoris calamitas. iſtud utcunqve ſe habeat, incumbit tamen vadi, qvi pro reo pœnas tulit, cavere ne ultra lædat hic, qvem a pœnis liberavit, eoqve facultatem viſus eſt dediſſe, poſſe facere plus mali, alias ſæpe, ſi pœnas dediſſet, impediti. derivamus hinc ultimum illud Mediatoris officium, gubernationem.

§. 11. Eſt igitur *Gubernator*, qui *ob jus ſibi in alterum competens, actiones ejus decenter ordinat.* Vides B. L. qualem hic deſignemus gubernatorem, non qvi navem dirigat clavo, vel fræno eqvum moderetur; ſed qui jus habet in hominem ejusque actiones, ut ad nutum ſuum componantur. tale jus ha-

bent parentes in liberos (α), ex pacto tacito præsupponendo oriundum, partim & ex ipsa natura: erat enim in potestate parentis suspendere vel adhibere actum generandi, prout ei sobolis cura placeret; erat quibusdam gentibus in potestate, generatum tollere, vel denegata educatione abjectum relinqvere. qvo casu, & datæ vitæ & educationis mercedem, si posset infans, lubens obedientiam & subjectionem promitteret (β). acquisivere etiam Domini gubernandi jus in servos tam perpetuos qvam conductitios, qvanqvam non par in utrosqve. intelligendum & hic, in nativitate servis, prædictum pactum; ut & in captis, pro servata vita debentibus servitia, necessaria, non solum ut præmium benignitati repositum, sed & ex jure belli & inde promanantis dominii (γ). Haud absimile in Mediatore obvenit, qvi, prout modo ostensum, interventu suo, a creditoris potestate, in suam redegit reum, obligatione solvendi vel luendi tamen non solutum, nisi in qvantum hu-

(α) *Grot. J. B & P. L. 2. c. 5. §. 1, 2, 3.*
(β) *adde qvæ tradit Puf. J. N. & G. L. 6. c. 2. §. 4.*
(γ) *id. L. 6. c. 3.*

hujus benignitas voluerit remittere de jure: pro qvo beneficio in grati animi signum, cum solvere neqveat, vel pœnas sufficienter luere salvus, liberatori tenetur ad officia, qvæcunqve præscripserit, non superantia rationem & qvantum debiti & delicti. Norma igitur, ad qvam gubernandæ actiones inferioris, voluntas superioris est, conformis æqvitati, haudqvaqvam excluſa salute gubernati; cum hujus consideratio in benignitate illius fundetur, qva impulsus, mediationis officium suscepit.

§. 12. Recensita Mediatoris officia, non a qvolibet Mediatore reqviri contendimus; sed pro conditione tam partium, qvam tertii intervenientis variare, & pro natura controversiæ qvædam aliqvando abesse vel adesse. Arbitri qvidem munere semper necesse videtur defungi Mediatorem, pacis media vel præscribendo, vel approbando si inter se convenerint diffidentes. si inclinet pars utraqve ad reconciliationem, & mutuo colloqvantur, supervacaneum est Internuncium adhibere. idem sentiendum de Interceſſore, inter æqvales & viribus & causæ potentiore vero inimicorum uno, altero in-

firmo, tum enim *calamitas qverula eſt, & ſuperba felicitas* (*d*), neceſſe huic eſſe apparet, qværere interceſſorem. cui negotio idem aptiſſimus eſt, qvi & ſupplicis, & ſi ſimul reum eſſe contingat, declaret deſiderium, & demonſtret qvid alteri factu tutiſſimum ſit, conveniens, & æqvum. ubiqve fere Mediator Sponſor eſt, dummodo adhibitus ſit a diſſociatis: vel enim pacem detrectanti, ut & eandem rumpenti, minatur conjunctionem armorum cum altero; vel alterum de præſtandis ab altero ſecurum facit. eoq; ipſo, & cum vicem ſubierit debitoris vel rei, Gubernatoris jus acqvirit, illud in partis ſive clientis ſalutem & informationem uſurpaturus. Iſthæc omnia in Servatore noſtro Domino JESU Chriſto in ſecula benedicto concurrere poſtea patebit, cum prius, neceſſitatem Mediatoris inter DEUM & hominem, Ratio, Revelatione qvidem informata, poſtea tamen etiam philoſophicis aſtrui poſſe, viderit argumentis.

CA-

(*d*) *Euctemon apud Curt. L. 5. c. 5.*

CAPUT SECUNDUM.

Qvid valeat Philoſophia in hoc articulo, oſtenditur Scripturis, exemplis, ratione. Theologiæ honos auctus: fides non ſine ratione. DEI exiſtentia, ejusdem, & perfectionum infinitas. Materia præexiſtens removetur. Identitas perfectionum cum eſſentia divina. Immutabilitas. Peccatum qvid ſit: omnibus ineſſe hominibus probatur. Neceſſitas revelationum. Iſtæ conferendæ. Eminentia S. Scripturæ. In qvo conſiſtat juſtitia. Qvid valeant bona opera: qvid mala. Exemplum politicum. Circumſtantiæ pœnam aggravantes. Earum proportio. Applicatio ad divina. Qvomodo DEUS peccato lædatur. Qvæ ſupplicia promerita. Exceptio removetur. Immortalitas animæ. Pœnarum æternitas & intenſio. Cur non in puncto pereant peccantes. Miſericordiæ DEI natura & valor. Ea conciliatur cum juſtitia. Qvomodo utriqve ſatisfiat.

§. I.

Ut hic qvoque inoffenſo, qvemadmodum ajunt, progrediamur pede, removenda ſunt, ſi permittant vires, obſtacula, qvæ pergenti remoram facere poſſent. Ex iis, qvæ præ-

præcipua sunt, notabo. Nimirum: si ope Philosophiæ & rationis, ad tantam salutis nostræ notitiam pervenire possibile esset; damnatos non futuros gentilium Philosophos: non posse qvemqvam, contra expressum DEI verbum (α), seduci a Philosophia: multum divinæ Scripturæ auctoritati eo derogatum iri: & si qvæ sunt similia. At qvantum ad primum argumentum, non dico hominem ope philosophiæ ad perfectam salutis æternæ notitiam intrare posse; sed ad limen ejus saltem ita duci, ut facile intra idem, a notitiæ istius Domino admittatur. considera enim, qvod eodem instruimur Sacro verbo (β): homines, in qvibus τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ φανερόν ἐστι, *seu cognoscibile DEI manifestum est*, & qvidem adeo, ut etiam τὰ ἀόρατα αὐτοῦ ἀπὸ κτίσεως κόσμου, τοῖς ποιήμασι νοούμενα καθοράται, ἥ τε ἀΐδιος αὐτοῦ δύναμις καὶ θειότης, *invisibilia ejus ex creatione mundi, factis intellecta pervidentur, æterna quoque ejus potentia & divinitas*; tamen τὴν ἀλήθειαν ἐν ἀδικίᾳ κατέχειν, *veritatem in injustitia detinere.* Unde inferre facile est, Philosophos gentilium multa perversitate & præconceptis opinionibus impe-

(α) *Col.* 2: 8. (β) *Rom.* 1: 18, 19, 20.

impeditos neglexiſſe; qvæ naturæ lumine cognoſci potuiſſent; & ſi hoc in tam evidenti negotio de æterna DEI exiſtentia, multo magis in articulo difficiliori id factum eſſe cenſendum. ſit loco exempli & teſtimonii, ipſa magna Sacroſanctæ Trinitatis notitia, ut volunt (γ), in gentilibus, & præcipue in Platone, dicente (δ) de primi natura: περὶ τὸν πάντων βασιλέα πάντ' ἐστι, καὶ ἐκεῖνος ἕνεκα πάντα, καὶ ἐκεῖνο ἄιτιον ἁπάντων τῶν καλῶν· δεύτερον δὲ περὶ τὰ δεύτερα· τρίτον δὲ περὶ τὰ τρίτα: *circa omnium Regem omnia ſunt, & ejus cauſſa omnia, & ille eſt cauſſa omnium bonorum: ſecundæ vero circa ſecunda: tertia autem circa tertia.* & clarius (ε): τὸν τῶν πάντων Θεὸν, ἡγεμόνα τῶν τε ὄντων καὶ τῶν μελλόντων, τοῦτε ἡγεμόνος καὶ αἰτίου παντὸς ἄριστον ἐπιμιμνήσκοντες· NB. ὃν, ἂν ὄντως φιλοσοφῶμεν, ἐισόμεθα πάντες σαφῶς, εἰς δύναμιν ἀνθρώπων εὐδαιμόνων: *omnium DEUM, imperatorem exiſtentium & futurorum, illiusqve imperatoris & cauſſæ patrem Dominum obteſtantes: (ſc. legatis hanc epiſtolam) qvem, ſi vere philoſophemur, omnes manifeſte cognoſcemus, ſecundum potentiam hominum*

D

(γ) *Conf. Euſeb. præpar. Evang. L. XI. & qvæ ex de Platone, Plotino, Numenio & Amelio notavi.*
(δ) *Epiſt. 2.* (ε) *Epiſt. 6.*

minum beatorum. Haud inconcinne ad alterum hinc responsio deducitur: cum & allato loco & alibi (ζ), ipse Apostolus rationibus Philosophicis gentiles ad DEI veram notitiam instruat & deducat; eo ostendens, recte usurpatam Philosophiam ubiqve conducere, sed perverse applicatam & vane, errores & stultitiam inducere. Nec igitur tertio terremur a proposito, considerando Philosophiam, in genuino & ab Apostolo monstrato usu, ministram Divini verbi esse, non magistram: unde Sacræ Scripturæ majestas augeri cernitur, non diminui, tam nobilem tam longe superantis ancillam, & tam generosæ pedissequæ utentis ministerio (η); sine qva nec credi posset illa, cum non credant bruta, nec homo perfecto rationis usu pollens firmiter credendum suscipiat, nisi qvod ob evidentes causas & demonstrationem certissimam, qvæ rationis est opus, sciat omnino esse credendum: sic oracula Divina creduntur, demonstrato auctore, eoqve supre-

(ζ) *Act.* 17: 23. 1 *Cor.* 1: 27. *&c. &c. Conf. Danhav. Hodos. Oecon. method. p.* 9. (η) *vid. Danh. Hodos. L. all.*

premæ & ineffabilis Majeſtatis, bonitatis, potentiæ, & veritatis (9).

§. 2. Propius ergo ad inſtitutum pergenti, ad demonſtrandam neceſſitatem Mediatoris, inter DEUM juſtum ſcelerum vindicem, & hominem peccatis pœnas promerentem infinitas; neceſſe eſt, & DEI exiſtentiam una cum perfectionibus infinitis, & hominis vitium præmonſtraſſe. verum quantum ad prius, cum id longe ſufficientiſſime ab innumeris ſit præſtitum, adeo ut nec agricolæ dubitent, naturali lumine poſſe DEUM, mundi omniumqve eo contentarum rerum Creatorem, cognoſci: tamen pauciſſima Pneumatologorum argumenta breviter proferenda videntur. & ob brevitatis ſtudium, omiſſis qvæ ex conſcientiis hominum, & ſummi legiſlatoris cognitione ex effectu, ducuntur, ſtabit heic unum pro multis, ductum a cauſſarum ſubordinatione ſeu dependentia, non tam in agere qvam in eſſe; cum illud, hoc ceu prius, præreqvirat. qvicqvid enim videmus, eſt ab alio, ut ſua cauſſa, qvæ iſto, ut effecto, prior eſt: at *prius*

(9) *& hic vide Danh. Hodoſ. Phan. II. p. 1317. Huet. conc. rat. & fid. L. I. c. 3. & 4. conſ. & infra §. 6.*

unum alio dicitur, qvia propius est primo; qvo non datur prius (ι). id igitur primum omnium, ultra qvod non datur in causarum serie processus, suprema est causa, qvam DEUM vocamus. Hunc infinitum esse in essentia, arguit independentia illa ab alia causa (κ), modo monstrata; nec non exinde fluens certitudo, nunqvam posse eum desinere esse: cum nihil sit extra ipsum, ipso fortius; nec intra eum, qvod destruere eum posset; nec aliud qvidpiam, qvod eum terminare aptum natum sit, qvi & aliqvando fuit solus, & cum volet, erit; atqve insuper qvicqvid velit, esse qveat: ut non nisi perfectissimum velle ei sit conveniens.

§. 3. Infinitas perfectionum ex ratione essentiæ infinitæ patet, præsertim earum, qvæ se in agendo exserunt; sunt enim operationes adæqvatæ essentiæ (λ). dein, prout innumeras fere perfectiones in effectis cernimus; ita his omnibus majores certo in causa concipimus dari: cui nihil obstare potest, qvin infinitis vicibus adhuc possideat ma-

(ι) *Arist: Met. L. 5. c. 16. conf. Plat. in Philebo.* (κ) *Plato l. all.* (λ) *Scheibl. Metaph. L. 2. c. 3. tit. 19. art. 2. & citatus ab eo Plut. de primo frig.*

majóres, & vere infinitas omni ratione. qvi enim ſibi tantas dedit, cur neqveat dare qvantas vellet? voluntas autem adpetit perfectiſſimum. hoc ulterius probatur exemplo potentiæ divinæ, qvam utiqve omnes facile infinitam inveniunt, conſiderando non eſſe finitæ virtutis opus, omnia totumqve orbem terrarum, & quicqvid ejus ſinu comprehenditur, cœlum etiam cum rebus in ſe contentis, ex nihilo producere: eſt enim infinita inter nihil & aliqvid diſtantia. ex nihilo vero omnia condita eſſe, conſtat ex dicta cauſſarum ſerie, qvæ ad primam intellectum ducit, eamqve unicam, propter oſtenſam infinitatem cauſſæ primæ, qvæ nihil ſibi coævum patitur; eoqve minus præexiſtentem aliqvam materiam, cum hujus conditio paſſiva ſit & inefficax (μ), ad aliqvid producendum ſine virtute ſuperiori; nec ea ſe potuit ipſa producere, vel a ſe, utpote in qva nullus eſt motus, exiſtere; ſed neceſſario activam præſupponit cauſſam ſui productricem.

§. 4. Dictas perfectiones Divinas, ſeu attributa qvæcunqve, ab ipſa DEI eſſentia ali-

(μ) *Ariſt. de gener. & corrupt. L. 2. c. 7. &c.*

qvid diverſum non eſſe, etiam neceſſario præmonendum eſt, hac ratione: ſi eſſent diverſa, eſſent diverſa entia, & qvidem infinita, ut ex præcedentibus patet; qvo pacto plura eſſent infinita, qvod abſurdum. ſeqvitur ergo, non eſſe attributa ab eſſentia diverſa, ſed ipſam eſſentiam, alio ſaltem conceptu ſe manifeſtantem menti noſtræ imperfectæ, tantarum rerum non capaci. porro, qvicqvid aliud eſt ab eſſentia divina, ab ea eſt creatum. ſi jam ſtatuantur perfectiones creatæ, duplex inconveniens orietur, nimirum: DEUM aliqvando caruiſſe perfectionibus ſuis, adeoqve infinitate, æternitate, independentia, & ſic non fuiſſe DEUM. alterum eſt; DEUM nihil creaſſe qvod non voluerit & intellexerit, & ſic per intellectum & voluntatem ſuam omnia feciſſe; qvæ ipſius perfectiones, per alium intellectum & aliam voluntatem eſſent productæ; qvia enim creatæ, neqveunt eſſe a ſe ipſis: qva ratione, non deſineret cauſſarum proceſſus ulterior & idem, in infinito. manat ergo hinc concluſio eadem, qvod perfectiones DEI, a parte rei ſint DEUS ipſe, & ſimpliciſſime cum eſſentia DEI idem, atqve omnis

alte-

alterationis, mutationis, deſtructionis, & defectus tam incapaces, qvam DEUS ipſe, ſeu ipſa eſſentia divina (ν): adeo ut ſi qvid ex attributis remittas, etiam neceſſario ex eſſentia aliqvid tollas: qvod natura impoſſibile.

§. 5. Alterum, qvod opus erat præneviſſe, dixi eſſe cognitionem vitii ſeu peccati in homine. eſt autem vitium ſeu *peccatum difformitas a lege* (ξ). legem vero reqvirimus vere talem, juſtam ſcilicet, ſanctam, & rectam, conformem regulæ exactiſſimæ, qvam in divina juſtitia & ſanctitate haud dubie invenimus eſſe ſtram. ad eam regulam qvæcunqve lex congruit, ea recta eſt, & conformis huic actio, bona; ſed mala & peccaminoſa, qvæcunqve ab ejus præſcripto abit. jam ſi qvis ambigat, multam in humanis actibus eſſe difformitatem a lege, perinde faciet, ac ſi accenſa face ſolem ſerena die qværat. deſcendat, qvæſo, in animum ſuum paulliſper, certe cum Medea exclamabit: *video meliora proboqve; deteriora ſeqvor* (ο).

con-

(ν) *de ea Plato in Phædon. & L. 2. de Rep. & Epiſt. 2. & 6. conf. Plut. amat.* 18 *& 19. nec non Stoic. repugn. 58. 59.* (ξ) *1 Joh. 3: 4.* (ο) *Ov. Metam. L. 7. Fab. 1.*

conſideret, cum animo tranqvillo, latas leges perpendens, eas pronunciet juſtiſſimas, irruente ſe mox deſiderabilis objecti cupiditate, qvid ſe transverſum agat, ut contra legem qvid committat: vel ſi tantæ ſit conſtantiæ, qvod abſtineat actu malo, pugnam tamen ſentiet rationis legem approbantis, & affectuum diſſidentium cum eadem (π). animadvertet verum ceciniſſe Poëtam (ϱ). *Nitimur in vetitum, ſemper cupimusqve negata.* Qvid ſi altiori mentis indagine ad divina aſcendas? ſtatim occurret, DEUM ſummum & optimum eſſe bonum (ς): bonum vero qvo majus & perfectius, eo noverunt intantes id eſſe optabilius, amabilius, & omni niſu magis expetendum (τ). amor affectus eſt unionis, & conjungi cupiens vehementiſſime: qvem vere amas, omnia ejus pro bonis habes, moribus & voluntati conformari ſtudes (υ). jam perpende homuncio, ubinam tanti boni amor? qvoties conten-

(π) *Conf. Rever. D. Gez. de Inſt: ſacr. in gent. c. 4. m. 3. §. 29.* (ϱ) *Ovid. Am. L. 3. El. 4.* (ς) *Plato L. 2. de Rep.* (τ) *Id. in Hipparcho* (υ) *Id. de Conviv. Plut. de ſera vind. Num. 7. Conf. Rev. Doct. Gez. de Inſt. ſacr. c. 4. m. 2. §. 23. & m. 4. §. 63.*

tendiſti hujus unione & conjunctione explere animum? qvam ſæpe te, hæc vilia qvæ calcas, plus DEO delectavere? annon miſelli mortalis beneplacitum tibi ſæpiſſime potius fuit Summi Numinis voluntate ſanctiſſima? teneas ergo te vitiolum eſſe, imo, peccatis involutum (φ).

§. 6. At qværis: unde mihi notitiam divinæ acqviram voluntatis? ipſum palpare non licet, non videre, vocem ejus audivi nunqvam: nec certo conſtat, an audiverit qvisqvam mortalium, vel, qvid ipſe velit, ſciat; præcipue cum ſcire ſe jactet hic, jactet ille, ſemper tamen diſſentientes & docentes contraria? Supra oſtenſum eſt, nihil divinis decedere poſſe perfectionibus ſalva eſſentia, adeoqve & bonitatem DEI eſſe immutabilem & immobilem, non in ſe ſaltem & ſua eſſentia, ſed & qvatenus ſe exſerit, creaturis ubiqve ad exigentiam uniuſcujusqve benefaciendo. ſtante hac poſitione, ſtabit non poſſe DEUM, ſalva eadem ſua bonitate, finere creaturam nobiliſſimam, cui excellentia mentis dona conceſſit, ſibiqve ratione &

E in-

(φ) *vid. teſtimonia citata Puf. J. N. & G. L. 7. c. 1. §. 4.*

intellectu proximam esse voluit, in tenebris versari, & qvod maxime necessarium cognitu est, ignorare. qvæ enim rationis prærogativa, nisi in ea penetrare, qvæ sensus assequi nequeunt? decederet supremæ justitiæ, si ejus non observarentur statuta a sibi subditis: nunqvam autem possunt ignota observari, vel non manifestata, ad pœnam, cum intermittuntur, obligare. sequitur ergo manifestata esse: & qvidem qvoad præcepta communia & maxima, universæ naturæ humanæ per rationis lumen. cum vero ea ad plenam DEI cognitionem, vel ad cultus debiti modum non sufficiant, concludo nota esse debere etiam specialiora, qvæ ratione non inveniuntur, promulgatione aliqva externa. idqve eo certius est & evidentius, quod omnes gentes, vel id qvod pro DEO habent, consulunt; vel qvi sublimius sapiunt, prius factam revelationem clamitant (χ), aut eam, ut necessariam expetunt. haud ineptus ero, si Poëtæ græci hic adducam verba (ψ):

(χ) *Conf. Plat. in Phæd.* (ψ) *Eurip. Helen. v.* 1164. *citante Huetio de conc. rat. & fid. c.* 2. *L.* 1. *adde Hornbeek de convers. Ind. L.* 2. *c.* 9. *Rev. Doct. Gez. Inst. sacr. t.* 4. *m.* 3 §. 28, 32, *& Doct. Jac. Lang, Introduct. Catheceum. in S.S. c.* 2. *&* 6.

ut

- - ἀλλ' ἔχω
Τί τὸ σαφές, ὅ, τι πᾶσ' ἐν βροτοῖς.
Τὸ Θεῖον ἔπος ἀληθὲς εὗρον:

i. e. *non habeo, qvid firmum sit eorum, qvæcunqve inter homines. divinum verbum verum inveneram.* Qvod cum sciamus, nulla valet ignorantiæ excusatio; ex amore enim summæ bonitatis, & timore justitiæ rigidissimæ, nullo non labore qværendum, cui hujus notitiæ contigerit felicitas. obvenientibus deinde plurimis plurimorum sententiis, utpote gentilium Sibyllis vel oraculis aliis, Mahumedanorum Alcorano, Indorum Veda, Talmude Verporum, Christianorum deniqve Bibliis, & si qvæ sunt plura tradentia diversimode res divinas; conferenda ea sunt omnia inter se, cum DEI optimi invocatione. sic facile patescet, qvæ scripturarum illarum omnium maxime congruat majestati, sanctitati, & veritati divinæ; nimirum Biblia nostra, aliis illis multa narrantibus blasphema & absurda de DEO, qvæ mens sana, Enti summo &purissimo nullatenus convenire, statim deprehendet.

§. 7. Evicto sic per divinam gratiam, esse hominem vitio infectum, idqve ope ra-

tionis ſolius cognoſci, ut de gentilibus demonſtrat Auguſtinus (ω): facile ſeqvetur ex natura juſtitiæ eſſentialis æternæ, cujus eſt ad meritum, bonis aut malis, qvemqve afficere, non poſſe peccatorem impunem abire (α); cum hoc ei ſit contrarium eamqve ſubruat (β). nec valet exceptio: compenſari & abſorberi peccatorum pœnas actionibus bonis. ratio eſt: qvia certe & plura habemus vitia qvam virtutes; & ſi unicum ſaltem eſſet vitium, innumeris virtutibus contrapoſitum, tamen unicum illud contra juſtitiam, adeoqve naturam immutabilem commiſſum, immutabiliter eſſet puniendum, nil excuſare valentibus operibus aliis bonis, utpote debitis majeſtati & bonitati divinæ, eas prout placuerit reqvirenti juſtiſſime: qvarum abunda compenſatio eſt beneficium creationis, vitæ, ſuſtentationis, & ſimilium (γ). in Politia humana ratio di-

(ω) *contra Julianum L. 4. c. 12. citatus Huet. L. 2. c. 9. conc. rat: & ſid.* (α) *vid. Doct. Gez. Inſt. ſacr. c. 4. m. 3. §. 29, 31, 35.* (β) *vid. Oſiand. obſerv. in Grot. L. 2. c. 20. th. 4* (γ) *paria videſis apud Puf. J. N. & G. L. 1. c. 6. §. 10. & c. 8. §. 1, 2. & c. 9. §. 5.*

dictat: si vel Regem ex præsenti mortis articulo liberasses, non te tamen impune ipsum vel mandata sua contemturum; & regis, ceu hominis, justitia essentialis tamen & immutabilis non est, qvæ salva natura subjecti violari potest, secus ac divina. manet ergo DEUM justissimum scelerum vindicem, ne minimum qvidem peccatum omittere sine pœna exactissime peccato adæqvata (*d*).

§. 8. Qvantæ vero erunt pœnæ a Divina justitia pro peccatis infligendæ, & cujus naturæ, jam inqvirendum qvid definiat ratio. inter homines aggravantur delicta, adeoqve pœnæ, ob varias circumstantias (*e*): præcipue vero intuitu 1 Objecti, in qvod peccatur; 2 Intentionis peccantis; 3 Effectus peccati seu damni: licet ista fere coincidant. fundamentum ergo proportionis ejus ex natura rerum petitur tale: qvantum qvis commisit mali secundum prædictas circumstantias æstimati, tantum pati committentem justitia jubet. hoc autem qvia neqvit

(*d*) *Ostand. observ. in Grot. L. 2. c. 20. th. 4.*
(*e*) *Wesenb. comment. in Dig. L. 48. tit. 19. Puf. J. N. & G. L. 8. c. 3. §. 18. Grot. J. B. & P. L. 2. c. 20 §. 29.*

per eodem fieri modo, æqvalitas ſeu proportio invenienda: vel ſi nec illa ſemper poſſit obſervari, ob inſufficientiam delinqventis in pœna danda ad magnitudinem delicti reſpondentis; qvod maximum ferre poteſt, juſte infligitur. breviſſimo totus diſcurſus illuſtratur exemplo. majus eſt Regi injuriam feciſſe qvam privato. eſt namqve objectum majus: intentio nocendi major, non contenta deſpicere impotentem privatum, ſed proterve majori etiam potentiæ inſultans: majus damnum; nam læſo Rege, læduntur omnes, privato unus vel pauci. deinde rempublicam evertenti nece regentium, æqvale reddi neqvit ob ſceleris magnitudinem; redditur qvod poteſt maximum, mors truculenta & ignominioſa, nullam tamen ad delictum habens proportionem. attendendum & hic, ſæpiſſime unam harum circumſtantiarum, licet aliæ ſint nullæ, tamen pondus addere facto maximum. ſcilicet, minimum in perſonam Regis delictum, ob magnitudinem objecti, merita luetur morte: habet enim hic proportionem vel ad totam rempublicam, vel maximam ejus partem. & ſolus hic conatus mortis re-

reum facit. cædes cujuslibet etiam inutiliſſimi, licet & non intenta directe, cæde tamen expiatur.

§. 9. Jam, qvomodo hæc divinis applicari qveant, perſpiciendum. Objectum, in qvod committitur peccatum, hic infinita diſtantia eminet ultra conditionem creaturæ, qvanqvam nobiliſſimæ: qvare proportio eadem erit pœnæ infligendæ, merito infinitæ. idqve eo patet evidentius, qvod qvicqvid in hominem præter cædem committitur; non eſt contra ipſam legiſlatoris vel læſi eſſentiam, ſed contra ſeparabilia ſaltem ejusdem accidentia, ut juſtitiam, in homine facilime mutabilem, vel dignitatem, aliqvo caſu cito ruituram, & hoc genus alia. at in DEI majeſtatem, juſtitiam, nomen, & alias perfectiones qvaſcunqve ſi peccas, in ipſam peccas DEI naturam immutabilem, infinitam. an ergo negabis homuncule juſtum eſſe, infinito te affici ſupplicio, cum peccato qvolibet ipſi tanqvam vulnus infligis Deitati? meritus horror cogitantem occupat. Intentionem ſi ſpectes, ea qvidem in peccante non ſemper eſt, ut DEO adverſum faciat; ſed ſuis tamen pravis obſeqvatur cupidinibus,

bus, immemor hoc ipso DEUM id negantem lædi, & iisdem voluptatibus haberi tum viliorem, adeoqve contemni. verum cum natura facti tamen rectâ ipsi Divinitati sit adversa, perparum hic agentis valebit remissior intentio, obligati ad abstinendum actu tam atroci. videretur qvidem hic ignorantia pœnam aliqvantum mitigare, si respiciatur agens, si vero objectum semper sui simile, nihil. Effectum peccati considerando, merito obstupescimus: hoc non attributum aliqvod separabile lædit & evertit: sed ut cædes Regis, ipsius essentiam, qva tota violatur respublica vehementissime; ita natura DEI læsa, si destrui in se potentiam haberet, peccato qvovis destrueretur minimo. qvo ipso si vel ipsa æterna justitia cessare posset; totus mundus, creaturæ cunctæ læsæ, vindictam exercerent. ast existente DEO, ob naturæ sublimitatem, semper sibi simili, necesse est justitiam sanctissimam excitari in vindictam, dignam DEO, in natura sua læso; æternam eam & infinitam (ζ).

(ζ) *de tali justitiæ divinæ rigore & æternis pœnis vid. qvæ Huet. conc. rat. & fid. de hyperboreorum & americanorum placitis tradit L. 2. c. 24. & citatum illi Stobæum in eclogis.*

§. 10.

§. 10. Qvocunqve ergo te vertas, peccator miſerrime, ex rigore juſtitiæ a temet violatæ, pœnas te manere cernis infinitas. vanas hic, etiam gentiles animadverterunt, qvascunqve luſtrationes & expiationes: ſecundum illud:

Ah! nimium faciles, qvi triſtia crimina cædis
Fluminea tolli poſſe putatis aqva (η).

iis enim nullum Ratio valorem adſcribere poteſt, ideoqve ejusmodi rebus DEUM placari merito diffidit, donec de ejus voluntate fiat certior (ϑ). nec eſt qvidqvam, qvod de finita tua natura tibi gratuleris, eam non eſſe capacem rei infinitæ, indeqve nec infiniti ſupplicii. recordare modo, qvæ ſibi Pluronis regna finxere gentiles, ubi vel in elyſiis lætæ campis, vel triſtes in orco, pro ratione transactæ in terris vitæ, exiſterent umbræ (ι): & mox ſcies, te geſtare ſpiritum

F

(η) *Ov. Faſt. L. 2. v. 45. conf. Cic. L. 2. de Leg.*
(ϑ) *vid. Hornbeek de conv. Ind. L. 2. c. 9. & Doct. Gez. de Inſt. ſacr. c. 4. m. 3. §. 35. & qvæ ibid. ex Thoma: & §. 36, 52.* (ι) *vid. Cic. Cato maj. & L. 1. Tuſc. Xenoph. pæd. Cyri L. 8. Senec. Ep. 117. & qvæ congeſſit Hornb. de conv. Ind. L. 2. c. 6. Plut. de facie in orbe lunæ 54.*

tum poſt mortem ſuperſtitem (*x*); qvi nihil in natura creata, vel intra vel extra ſe inveniens, qvod vim habeat ſe deſtruendi, Creatorem qvi hoc unice valet, qvam toties tantis offenderat ſceleribus, haud immerito expavet, & facile colligit, ad pœnæ intenſionem, ſe ab illo ſuperſtitem ſervatum iri: præſertim cum nihil ſperare poſſit, qvo adductus DEUS annihilet ipſum, cui ab initio vires permanentiæ ſit largitus. verum quidem eſt, pœnas ſimpliciter infinitas eſſe non poſſe, licet tales ſint promeritæ: cum natura finita earum non ſit capax; & contradictorium eſt, hanc vere præditum iri aliqua infinitate. Sunt tamen infinitæ ratione durationis a parte poſt, i. e. non ceſſabunt unqvam, nunqvam terminabuntur; qvia non ceſſat unqvam natura patiens, nec limites agnoſcit permanentiæ, qvanqvam habeat fines eſſentiæ. tales ergo & pœnæ erunt; ſed & tanto majores mundanis, qvanto vindex hic præ hominibus excellit potentia & majeſta-

(*x*) *confer, qvæ prolixe de animæ immort. & ſtatu poſt mortem differit Plato L. 10. de rep. in Phæd. & in Phædr. Plut. de Hom. 63. & de plac. Phil. L. 4. c. 7. & de ſer. vind. Num. 34. & 36. adde Cic. L. 9. Ep. 7. ad Att.*

jeſtate. nec abſurdum erit ſtatuere, ratione freqventiæ & intentionis in peccante majoris vel minoris, etiam differre pœnas ratione intenſionis, nihil interim decedente durationi.

§. 11 Qvanqvam hæc perſpicue ſperemus demonſtrata eſſe; occurrere nihilominus alicui poterit dubitatio de dicto divinæ juſtitiæ rigore; eo qvod videat indies, homines peccatis operam dare, tanqvam demandato ſibi muneri, nec tamen manifeſtum eſſe, pœnas illas rigidiſſimas ſubiiſſe qvenqvam: & licet poſt mortem eaſdem omnes ſubierint, exactiſſimæ tamen iſti juſtitiæ non convenire tam diuturnam tolerantiam, atqve jam peccantes experiuntur, ſed repentinam & horrendam ad tartara detruſionem (λ). reſpondemus, recte qvidem illud juſtitiæ ſupremæ reqviſitum notari, qvod in momento delinqventes tradat ſupplicio. ſed ſimul in memoriam revocandum, eſſe juſtitiam hanc perfectionis infinitæ: adeoqve etiamſi nobis videatur primo intuitu ei aliqvid decedere, tamen id non ſtatuendum, ſed perpendendum potius, an ulla alia ſpes & via

(λ) *Plut. de ſera vind. Num.* 19.

conciliationis non ſit Rationi reſidua. Hæc volventi in mentem veniet, eſſe aliqvid, qvod horrendum differat judicium, iramq; divinam retardare qveat. Tale vero extra DEitatem nihil eſſe, vilitas omnis creaturæ, ad aliqvid in DEO efficiendum, oſtendit: intra eandem, ex collatione noſtrarum affectionum, earum qvæ in ſe vitio carent, ſed eminentiori modo in DEO ſunt, deprehendimus iræ & juſtitiæ rigori oppoſitam miſericordiam (μ). de ejus ergo natura & valore pauca diſſerenda.

§. 12. *Miſericordia Divina*, qva *creatura miſerabili benigne ſuccurrit, eamqve e ſtatu miſeriæ in felicem transfert*, æqve ex perfectionibus immutabilibus & infinitis una eſt, ac juſtitia & cæteræ: nam & hæc ipſam involvit eſſentiam, præter qvam in DEO nihil eſt. hinc facile colliges ex naturæ & eſſentiæ convenientia omnimoda, eundem miſericordiæ, cum attributis aliis, eſſe valorem in effectis & objectis; atqve hanc eſſe qvæ juſtitiæ rigorem ſufflaminet, & miſerabilem eripiat peccatorem a pœnis promeritis (ν).

Ve-

(μ) *Conf. D. Gez. de Inſt. ſacr. c. 4. m. 3. §. 32. & ibi citat. Sharrokium.* (ν) *Did. l. all.*

Verum cum hac ratione tanqvam pugnantes in DEO proprietates videantur, qvod tamen & impium, & Rationi, naturæqve Divinæ contrarium est statuere; & certum juxta ex hactenus dictis, justitiam reqvirere infinitis peccantem statim subjici pœnis; ex adverso autem misericordiam in eo esse occupatam, qvod misero parcatur, ac pro malo bonum conferatur: conciliatione accurata opus est, ea, qva neutri qvid detrahatur, & satisfiat utriqve (ξ).

§. 13. Qvoniam ergo visum, pœnas exigi necesse esse per justitiam, peccatorem pœnis eximi per misericordiam, eaqve in idem subjectum simul cadere impossibile; relinqvitur, *insontem aliqvem, sponte in se peccatoris derivare debere supplicia, eaqve ad plenum, justitiæ divinæ convenienter, pati.* insontem dico, decet enim, ne pro se pati opus habeat, nunqvam in legem vel minimum impegisse; etenim si vel tantillum offenderit, ipse æterni supplicii reus erit, adeoqve pro se, non aliis, passurus. hic idem in se pœnas sustinendas sponte reci-

(ξ) *Conf. Sam. Columbi* Bibliske Wärld. & Leitung der Vernunfft *Dan. Casp.* von Lohenstein.

recipiet: alias injuſtum eſſet pro ſonte inſontem puniri, ni ipſe translata in ſe culpa, ejusqve ſupplicio, nocentem dimitteret & innoxium declararet: idqve divinæ miſericordiæ inſtinctu, ea ratione finem ſuum conſecutæ, nimirum felicitatem miſeri peccatoris: non carente interim juſtitia rigore ſuo & effecto, puniendo eum, qvi translata in ſe culpa, impunem abire juſſit peccatorem. talem pœnæ & culpæ in volentem alium tranſlationem, non eſſe contrariam divinæ juſtitiæ, diſcemus conſiderando, eſſentiale pœnæ conſiſtere in inflictione propter peccatum, non vero præciſe in determinatione individui puniendi, ſcilicet ipſius delinqventis (o), ſi is juſte poſſit alium ſubſtituere: ſubſtituitur vero juſte, qvi ſubſtitui voluerit, & ſuæ eſt vitæ dominus; cum *volenti non fiat injuria.* exempla in debitis & multis pecuniariis freqventia occurrunt ubiqve. Hic vero jam eſt is, qvem tanto labore qvæſivimus, Mediator inter DEUM & hominem, reconcilians partes adverſas, DEUM glorioſum juſte iratum, & miſeros mor-

(o) *vid. Lepig laudatus D. Gez. Inſt. fac. c. 4. m. 3. §. 39.*

mortales ipſum injuſte offendentes. cujus autem potentiæ, virium, & affectionum, erit ille, de eo, DEI auxilio, ulterius aget

CAPUT TERTIUM.

Mediator cujus naturæ. neqvit eſſe homo nudus. hujus vires hoc in negotio qvantæ. Noxa univerſalis oſtenditur. Spiritus completus, bonus eſt & malus. probatur. malus neqvit eſſe Mediator. nec bonus valet. An poſſint ſalvari dæmones. plus peccarunt. DEUS eſt Mediator. additur ratio. Subjectum redemtionis: an ingrati. Natura ἀνυπόστατος qvomodo patietur. Unio duarum naturarum. exempla creata. natura adſcita qvalis. Poteſt qvis ſatisfacere ſibi ipſe. Mediator ſecunda Perſona S: Sanctæ Trinitatis. de ea aliqvid ſomniant gentiles. Applicantur illi munia Mediatoris. Gratiarum actio, & votum.

§. I.

Primam hic inſumendam eſſe operam exiſtimo, inqvirendo in naturam noſtri Mediatoris. Conſulta hac de re Ratio, facile monſtrat eum naturæ eſſe intelligentis; & qvod fluit inde, habere etiam ſubſtantiam ſpiritualem incorruptibilem, nunqvam ceſſaturam. cur id ſtatuendum, patet; pœnæ enim divinitus infligendæ pro peccatis, totum

tum affligerent hominem, & majori qvidem ratione animam, qvam naturaliter corpori ſcimus manſuram ſuperſtitem in æternum. jam qvi eandem paſſurus eſt pœnam, ejusdem ad minimum neceſſario ſit potentiæ & dignitatis naturalis; ne diſparitas oriatur ſupplicii, reo debiti, & Mediatori intercedenti inflicti, qva læderetur juſtitia. etenim & priſci *Galli*, *qvorum natio omnis admodum dedita religionibus*, *pro vita hominis*, *niſi vita hominis reddatur*, *non poſſe aliter deorum immortalium numen placari*, *arbitrabantur* (α). nec pœna proprie in brutum cadit, agens omnia ſua, non rationis ductu, ſed neceſſitate naturæ, non admittentis electionem. novimus autem præter DEUM, Intelligentias, & homines, plura non eſſe entia rationalia: qvamobrem ex horum numero inveniendus Mediator.

§. 2. Hominem, qvales nos ſumus, verum Mediatorem non eſſe liqvet; qvia ipſe noſtri ſimilis peccator eſt, & ipſe æterni reus ſupplicii (β). nec, ſi daretur homo a peccato immunis, hic Mediator eſſe poſſet: nam cum non excedat natura ejus naturam alio-

(α) *Cæſar Belli Gall. L. 6. c. 4.* (β) *vid. Euſeb. Dem. Evang. L. 7. c. 1.*

aliorum, poſſet ſaltem unus pro uno pari; qvia pœnæ ſunt promeritæ, qvas ferre poteſt finita natura maximas. & licet poneretur, qvod vix tamen concedendum, propter diverſitatem intenſionis ſupplicii, oriam ex diſparitate peccatorum, qvæ tamen & ipſa rationi dubia, poſſe unum tantas ſuſtinere, qvantas duo vel tres ex peccantium minimis meruerant: adverſum tamen plane eſſet miſericordiæ divinæ, facere in æternum perire inſontem pro noxio; nam hujus eſt benefacere omnibus, multoq; magis promerentibus bonum. maximum autem eſt, qvod abhorreat natura a ſui deſtructione, & eſſet homo ille irrationalis, qvi in perniciem. unde nulla redemtio, vel cujus nullus eſt exſpectandus finis, pro alio qvantumvis caro, rueret ſciens: quod utiqve in ſpontanea alterius peccati ſibi imputatione reqviritur (γ). & qvanqvam horum nihil obſtaret, multis tamen & innumeris opus eſſet Mediatoribus tam imbecillis naturæ, pro tot hominum millibus.

§. 3. Sed fruſtra ea disqviruntur omnia; cum non poſſit occurrere rationi, aliqvem peccati & ſceleris purum in orbe terrarum

G dari:

(γ) *conf. D. Gez. Inſt. ſacr. c. 4. m. 3. §. 58.*

dari: qvotqvot enim vides, qvoscunqve alicubi exiſtere audiviſti, ſimul ſemper animadvertes haud integris eſſe moribus. nulla hactenus inventa regio, nulla domus, ubi non invenias inconcinnum, & exactæ juſtitiæ adverſum, vivendi inſtitutum (δ). porro in infantibus notamus inordinatos motus: nec qvemqvam excipi ab hac labe qvisqvam hactenus deprehendit. certum ergo eſt, inter homines Mediatorem hominum inveniri haud poſſe.

§. 4 Idcirco ad Spiritus completos & finitos tranſimus, qvos Philoſophi Intelligentias nominant & Dæmones, perſpecturi utrum in iis aliqva inveniatur facultas, hominem a pœnis æternis liberandi. notandum hic venit primo, ſpiritus illos duplicis eſſe naturæ, alios bonos, malos alios (ε). hos obſeſſi demonſtrant; qvi, dum ultra vires humanas agunt, & homini non competente modo, arguunt majus ſibi ineſſe illarum actionum principium, idqve malum, cum male agant, & blasphemias eructent. qvod manes

(δ) *vid. Sharrok. c. ult. de officiis, cit. D. Gez. Inſt. ſacr. c. 4. m. 3. §. 32.* (ε) *Plutarch. de oracul. defectu 23.*

manes seu defunctorum animæ id non sint, evidens eo est, qvod non valuerint tale qvid efficere in unione cum corpore proprio, qvi status, utpote completus, perfectior erat incompleto hoc, cum seperatim existunt. nec aliqva ratio dari potest, cur anima separata plus valeat in corpore alieno, qvam unita in proprio: vel qvomodo una in tantum perfectior alia concipiatur. Spiritus bonus in obsesso male agere neqvit, sive infinitus, sive finitus. Existere vero spiritus bonos finitos, & cognoverunt Ethnici (ζ), & colligimus facilime ex natura spirituum creatorum in genere; qvod nimirum a bono non nisi boni creari potuerunt: & licet insignis eorum numerus a bono desciverit, non probabile est omnes defeciisse, & jam esse malos, qvanqvam homines nunc omnes, qvondam a pauciissimis, iisqve jam tum malis progeniti, sint præter voluntatem perversi nati; nam non generantur genii, nec contaminari qveunt inviti.

§. 5. Facili proinde negotio a mediatoria dignitate removentur genii mali, utpote qvi

(ζ) *demonstrante id prolixe Huetio in de Concord. rat. & fid. L. 2. c. 4. Conf. Hesiod. oper. L. 1.*

ſatis habeant pro ſe ipſis pati, nec niſi finiti ſunt, ut aliorum inſuper paſſiones ferre qveant: nec id, ſi poſſent, vellent; a malo enim tantum boni exſpectare, contra rationem eſt: nec a ſuperiore ad hoc poſſent juſte obligari inviti; cum, ſi pro propriis paſſi, tandem liberarentur, nulla lege, ad pœnas remitterentur ſemel abſoluti; eſſent enim boni. Sed qvod nec boni Angeli hoc munere fungi valeant, apparet itidem. cogi ad hoc non poſſent, qvia ſancti & juſti: neqve perſvaderi; qvia in æternum non poſſent liberari. deinde eſt finibus circumſcripta eorundem natura, eſſentia & proprietates; & propterea neqvit angelus omnium hominum ſuſtinere pœnas æternas, eorumqꝫ expiare delicta. & abſurdum eſt damnandis ſingulis ſingulos eſſe Mediatores; cum juſtius eſſet perire peccantes ipſos, qvam juſtos loco impiorum. manet ergo, nec ſpiritus finitos, ſive bonos ſive malos, ullam lapſis mortalibus recuperare poſſe ſalutem (*n*).

§. 6. Incidit hic qvæſtio & dubium: cum monſtratum ſit, peccaſſe æqve dæmones ac homines, ideoqve juſte æterno exitio deſtinatos

(*n*) *Conf. Euſ. Dem. Evang. L. 4. c. 10.*

natos esse; & simul dictum sit, necessario misericordiam divinam semet in objecto aliqvo miserabili exserere: utrum ergo hoc objectum non dæmones possint esse præ hominibus, cum videantur, naturæ suæ nobilitate, eam consecuturi prærogativam, ut redimantur ii, perdantur vero homines, ut naturæ ignobilioris; atqve ea ratione satisfuturum & justitiæ divinæ in mortalibus reprobatis, & misericordiæ in salvatis spiritibus? dicendum hic est: naturæ nobilitatem nihil facere ad impetrandam misericordiam, verum potius ad irritandam justitiam. nam naturæ nobilitas in in excellentioribus consistit viribus, qvæ in ente rationali, in alia re non tam elucent, qvam in lumine intellectus & libertate voluntatis. ea ergo, si in intelligentiis majora, melius sibi a peccato cavere potuissent: & si noluerint minus, qvi melius possent, majoris erunt supplicii rei, qvam qvi minoribus præditi viribus erraverint: & hos magis excitare valere misericordiam qvam illos, qvivis in se descendens reperiet (ϑ). porro recte præsumitur ex collatio-

(ϑ) *Puf. J. N. & G. L. 8. c. 3. §. 21. Grot. J. B. & P. L. 2. c. 20. §. 29. Wesenbec. comm. in D. g. L. 48. tit. 19.*

larione facultatum hominis & genii, hunc potuiſſe, hortatu vel exemplo, illum ceu imbecilliorem adegiſſe ad peccatum. non vero contra: cum nullus ſit modus, qvo nos poſſimus agere in ſpiritum; ſiqvidem noſtra cognitio qvam maxime dependet a ſenſibus, qveis ille non eſt obvius, ipſe vero nos cognoſcat perfectius, & valeat modis multis in nos agere. jam vero qvi peccat prior & ultro, deterior eſt eo, qvi ſeductus hortatu vel exemplo peccat (*i*). concludit igitur Ratio, objectum miſericordiæ divinæ aut utrumqꝫ eſſe, tam hominem qvam angelum, aut hominem ſolum: qvandoqvidem non id eſt miſericordiæ opus, ſalvare peccantem plus, & minus delinqventem punire, ſed aut utrumqve ſervare, aut hunc præ illo. qvod poſterius e Scripturis divinis indubitatum eſt (*κ*).

§. 7. Deſperata ſic ſalute nobis ab intelligentiis acqvirenda, ad ſolum DEUM in ſecula benedictum, refugium eſt: qvi, cum per venerandas ſuas perfectiones Mediatorem deſtinavit, & neceſſitatem, ut exiſteret,

(*i*) *vid. auctores citat. ll. all.* (*κ*) *Hebr.* 2: 16. 2 *Pet.* 2: 4. *Judæ v.* 6.

ret, intulit, tollendo simul tanti negotii & suscipiendi & perficiendi potentiam a creatura qvavis; non dubitandum est, qvin ipse hoc officium voluerit peragere (λ). & hoc qvidem adversum rationi esse neqvit: qvatenus eum, qvi solus, tantas omnium hominum innumeris peccatis promeritas pœnas, sine suo detrimento sufferre valeat, cogitaverimus esse debere eminentioris naturæ, qvam in finitam cadit essentiam: sunt enim pœnæ cujusvis tantæ, ut alterius alteri addi neqveant. qvi igitur cunctas feret cunctorum, cunctis unus æqvalis erit; & si iisdem tandem velit sufficienter toleratis liberari (μ), cunctis major erit, & adhuc qvo citius, eo major. recipere autem in se tanta supplicia sine spe emergendi, ratione caret. unde patet, Mediatorem illum esse cunctis hominibus conjunctim æstimatis majorem, adeoqꝫ DEUM ipsum: qvi ut infinitus ipse, infinita illa mala facillime sustinebit & vincet. cunctos dixi, derivata in Mediatorem pœna, liberari: qvia cuncti homines ejusdem sunt naturæ imbecillis, cuncti æqvali labe infecti, cuncti æqvalia misericordiæ objecta, cunctiqꝫ redem-

(λ) *vid. Euf. Dem. Evang. L. 4. c. 10.* (γ) *id. L. 10. c. 8.*

redemtionis indigi. nec ulla se offert caussa, cum humani generis sit Mediator, cur aliqvos ex paribus in miseria omittat, pro qvibus nolit satisfacere; nisi velis ingratos & refractarios excipere, pro qvibus non patiatur: attamen & his oblatam esse satisfactionem vicariam, misericordia & æqvitas omnino reqvirunt, Ratione judicante, licet indubitatum sit ex principio certiore, nullum usqvam excipi (ν), qvi oblatam redemtionem rite recipere velit.

§. 8. Bene hactenus progressæ Rationi hic objicitur scrupulus: Divinam essentiam plane omnis passionis esse immunem, actu non solum, sed etiam potentia; adeo ut DEUM neget, qvi ei censeat aliqvid molesti in sua natura accidere posse (ξ): qva igitur ratione patietur pœnas illas maximas? suamne mutabit naturam, an redemtionem decretam omittet? neutrum horum recte de DEO dicitur, ceu constantissimo, essentiæ & voluntatis immutabilitate. Sed arripit hic Ratio lubentissime, id qvod ex divina hausit

(ν) *Es. 53: 6. Hesek. 33: 11. Mat. 10: 11. Rom. 5: 18, 19. 2 Cor. 5: 14, 15. 1 Tim. 2: 6. & 4: 10. 1 Joh. 2: 2. &c. &c. &c.* (ξ) *& hic conf. Euseb. Dem. Evang. L. 4. c. 13.*

ſit revelatione, DEUM in hoc negotio ſimul hominem eſſe (o); nec id ſibi adverſum putat, ita inferendo: DEUS, qvi tot & tanta fecit mirabilia, tanqvam directrice immenſa ſua ſapientia, & potentia abſolutiſſima exſeqvente, is naturam paſſionum capacem facile ſibi adſciſcere poteſt: & qvidem pro majori potentia facilius, quam genii, in adſumtis ſæpe apparentes corporibus, & varia efficientes. fit id, non ſuam illam infinitam mutando, ſed hanc inſuper aſſumendo, modo ſuæ ſapientiæ conformi, effecturæ ex diverſis illis duabus unum aliqvod ſuppoſitum. qvod ut diverſis conſtans principiis, diverſas habet proprietates, patiendi qvidem per hanc adſcitam, ſufficientiam vero & pondus addendi per illam omnipotentem naturam. nec eſt timendum, creatam illam aſſumtam partem, qvæ omnino finita eſt, finite ſaltem paſſuram, adeoqve non qvantum ſatis eſt pro omnibus jure paſſuris: ſi enim unum cum DEO facta eſt ſuppoſitum, easdem habebit, illo communicante, vires, nec ſola qvid agere eſt cenſenda; cum nunquam in ſtatu conjuncto agere vel pati pars ſupoſiti recte dicatur, ſed ſuppoſitum ipſum,

(o) *Joh.1:14. Gal.4:4. 1 Tim.3:16. Heb.2:14,16. &c.*

qvod &hic neceſſe eſt valere. haud ſecus ac vires ſufficiente anima, corpus ſentit pœnales paſſiones, illa illæſa, ſine qva tamen & hoc talium paſſionum non eſſet capax, nec ſubjectum idoneum (π).

§. 9. Adhuc tamen enodatu difficile videtur, naturas duas completas, qvarum utraqve naturaliter ſuam obtinet ſubſiſtentiam, in unum ſubſiſtens coaleſcere poſſe. ſed ſi conſideretur, qvantum ſit hic agens, & qvis agendi modus, extricata res fiet. agens eſt infinitum, omnis naturæ auctor & dominus, cui ſuum effectum ubiq; & qvoqvo modo paret: modus agendi divinus, nullam in re ipſa mutationem inferens, ſed ſaltem in modo rei, tollens a natura creata, ei convenientem ſubſiſtentiam finitam. eandemqve compenſans ſubſiſtentia ſua infinita. ſimile aliqvo modo in creaturis invenitur, præter aſſumtionem corporum genii uſitatam, in corporis & animæ unione, item in ferri & ignis: qvo minus hoc abſurdum cogitanti eſſe poteſt.

§. 10. Reſtat explicare, cujus ſpeciei naturam illam adſcitam eſſe oportet; & qvomodo DEUS, ut pars læſa, ipſe inter ſe & lædentem poſſit Mediatoris obire partes.

(π) *Euſeb. Dem. Evang. L. 4. c. 13.* qva

qva prius, dicendum eſt: naturam adſumtam debere eſſe ſpeciei ejusdem cum illa, pro qva paſſio ſubeunda. id patet, qvia paſſio Mediatoris vicaria, ejusdem erit naturæ cum paſſione reo deſtinata; alias enim exacte juſtitiæ non fieret ſatis. jam vero pro hominibus ſuſcipienda actio Mediatoria: qvare humana erit etiam natura, in qva patietur Mediator. ſi ſalvandi qvoqve eſſent dæmones, illorum naturam ipſorum Mediatori aſſumendam eſſe conſtat: ſed tum alius eſſet Mediator; DEUS qvidem & ibi, ſed unitus aliter. DEUM inter ſe ipſum, ut cui ſatisfactio præſtanda, & hominem, pro qvo eadem ſuſcipienda, Mediatoris partes agere poſſe, ut jam rationes alias præteream, humanum demonſtrat exemplum Locrenſium Zaleuci: qvi, ne lex a ſe lata, qva adulterium oculorum effoſſione prohibebatur, pateretur qvid detrimenti, nec tamen filius prævaricator cœcus redderetur, alterum filio, alterum ſibi erui fecit oculum (ρ). hic ergo ipſe inter ſe & filium Mediator & ſatisfactor erat, cujus tamen mutabilis juſtitia erat, & accidens ſeparabile, & potentia limitata. DEI juſtitia ſine omnis puncti

(ρ) *Valer. Max. L. 6. c. 5.*

satisfactione non contenta, qvia essentialis & immutabilis, a DEO homine, cujus potentia, etiam in patiendo, limites nescit, pœnas debitas rigide exigit, qvas vicarias subire eum misericordia compulit.

§. 11. Satis est hæc assequi posse Rationem, qvod necesse sit inter DEUM justissimum Vindicem, & hominem peccatorem, Mediatorem dari, eumqve non nisi DEUM, sed simul hominem, ut vere sit medius. jam habens ultra ab ipsa divina revelatione, qvam etiam necessariam vidit, ideoqve credit, mediam ex tribus sanctissimæ DEItatis Personis, hoc in se suscepisse munus; plaudit, sibiqve de tanta & luminis & salutis gratia intime, & creaturæ, extra istud clementiæ cœlestis opus, miserrimæ futuræ, convenienti modo gratulatur. Qvanqvam & velint qvidam (σ) ipsam adorandam Trinitatem per rationem demonstrare: alii etiam gentibus aliqvatenus fuisse notam (τ). Sed missis iis, applicat Ratio nostra, ea qvæ de Mediatore sensit, huic Benedicto Servatori, & apprime convenire animadvertit. Primo qvidem *Arbiter* est Redemtor noster cle-

(σ) *ut Nic. Smitero in medit. de Deo Triuno. &c.*
(τ) *vid. supra §. 1. c. 2. & Huet. conc. rat. & fid. L. 2. c. 3.*

clementiſſimus, inter partes omnino adverſas, DEUM ſanctiſſimum omnia deteſtantem peccata, & peccatorem vitiis adeo immerſum, ut ſummum illud bonum vix velit diligere, ne dicam poſſit. electus a DEO eſt, admiſſus ab homine ſuæ miſeriæ ſenſu imbuto: utriqve favens & annexus; qvia ipſe eſt utrumq;. ita ex æqvo deducens conciliationis media, ut ſatisfiat utriqve: inferiori ultra votum, ſuperiori nihil extra beneplacitum: illi vitam & gloriam æternam neceſſariam eſſe oſtendendo; hujus autem ut obſeqvium præſtetur voluntati, & pœnas a reo promeritas alius ſponte luat, in ſe recipiendo.

§. 12. Deinde *Internuncium* ſe gerit, miſericordiam illam immenſam, miſeris mortalibus annunciando, ſuamqve vicariam interventionem; eosq; inſtruendo, qvid exigat victor, qva obedientia judex placari qveat, qvomodo parta retineatur gratia. Regi veroregum omnipotenti, homunculi narrat tam flebilem miſeriam, qvod ſua non percipiat commoda, nec calamitatem & opis indigentiam ſentiat, nec ſi ſentiret, perculſus veniam audeat implorare, tantorum conſcius malorum, qveis occupatus fuerat. Iſta monſtrando Mediator mitiſſimus pœnas & calami

lamitatem a peccatore miserabili deprecatur, idqve, ut verus *Intercessor*, tanto majori facit affectu, qvod noster est consangvineus, efficitq; tanto cum successu, qvod liberemur.

§. 13. Sed necesse est interponi *Sponsorem* objustitiæ rigorem. in se & hoc susscipit Mediator (υ); præstat præstanda, patitur patienda; satisfacit legi, subit mortem ignominiosissimam, ratione valoris, respectu patientis æterni & infiniti, immensam & æqvipollentem æternæ; compensando scilicet protensionem intensione pœnarum: cum perinde sit, an per septimanam qvis indies vapulet ictu uno, an die uno ictibus septem, emergit tandem ex tanta benignitate & vicaria solutione debiti, Mediatori nostro, qva Mediator est, jus *gubernandi* homines, eorumqve actiones componendi ad suum nutum: non enim vel Philosophis gentilium testibus, rite qvis DEUM colet, nisi DEO auctore & directore (φ). jam autem benignissimus noster Mediator, qvod ad DEI voluntatem vivamus, pro nobis fidejussit, ergo jus etiam habet, prout vult nostras, in sui gloriam & nostri

(υ) *de his vid. Euf. Dem. Evan. L. 10.*

(φ) *vid. præf.*

ſtri ſalutem, dirigere actiones: idqve facit ſemper, dummodo ductui ejus reſiſtere deſiſtamus, ne, qvas jam ille dedit pœnas, iterato, ingratitudine noſtra ipſi luamus.

§. 14. Cum igitur tam immenſa habeamus gratiæ dona, non ſolum a Mediatore noſtro, qvem DEUM & hominem percepimus, & ex Scripturis, inter Trinitatis gloriosæ Perſonas ſecundam eſſe diſcimus, nomine JESUM CHRISTUM; ſed & a DEO PATRE Redemtorē deſtinante & admittente: qvid nobis miſeris, ſed hac acqviſita ſalute beatiſſimis, in grati animi ſignum faciendum reſtat? præſertim cum ea nobis tam diſerte in verbo ſuo ſcripto annunciet, exhibeat, & obſignet: & præterea excellenti natura, ejusqve lumine Rationi indito luculenter donarit; adeo ut & intellectu ductore, & adhibita diligentia, tam prope ſalutaris doctrinæ culmen eniti valeamus. ſubmittamus nosmet devotos tantæ Majeſtatis cultores, tantæ benignitatis præcones, tantæqve bonitatis amatores: humilime orantes, velit nos in ſalutari ſui cognitione ſemper ducere, dirigere, confirmare. & maximis iſtis bonis cumulatos, inſuper pace deſidera-

ratiſſima beare. præcipue vero immortalem & ſolum beatum Regem rogemus, qvod proximum ſibi inter mortales, ſuæqve Nutritium eccleſiæ, Deum terrenum, Regem noſtrum clementiſſimum CAROLUM XII, pium, fortem, felicem, vereqve auguſtum conſervet: eumqve, devicto Auguſto minus auguſto, & ad juſtas pacis fractæ pœnas deducto immemore ſui nominis Friderico, triumphantem per rus Ruſſicum reducat ad ſuos, poſtqvam prius fracta fuerit fluctuans Petri petra, ita ut & is enſem in vagina recondendo, Simon evadat imbellis & pœnitens.

Domine, ſalvum fac Regem, & exaudi nos
in die qva invocaverimus
te (χ). *Amen.*

ברוך יהוה אלהי ישראל מן העולם ועד העולם
ואמר כל העם אמן הללו יה: (ψ)

(χ) *Pſ.* 20. 10. (ψ) *Pſ.* 106. 48.